TAVROMACHIÆ GADITANÆ DESCRIPTIO CVM CARMINE ANNEXO.

CLarissimi viri perillustris Nationis Anglicæ qui in celeberrimo hoc Gadum emporio versantur, audita felici inauguratione JACOBI secundi, celsissimi potentissimique Regis magnæ Britaniæ, Franciæ, & Hiberniæ? vt suam sẽper inconcussam fidẽ &, obsequiũ in tantum Principem testarentur, lęto consensu Senatus Populique Gaditani, inter alia spectaculorum genera, regale vt vocant cum tauris prælium maximis impensis instituerunt. Per totum forum erexerunt pegmata tabulata, antiquorum Amphitheatris haud dissimilia. Tanto operi perficiundo præfectos duos vnanimi calculo elegerunt, Dñum Jacobum Cunninghamium, & Dñum Jacobum Ricardi, vtrumque & nomine, & meritis, huic provincię peridoneũ; quippe ambo illustrissimi ordinis Baronetici stemmatibus splendescunt, ambo intactá erga Regem JACOBVM fide, & veneratione conspicui. Dignissimus Senatus antiquissimæ huius Civitatis, duos etiam ornatissimos Senatores designarunt, vt sua curà, & authoritate theatris construendis, & reliquis ad spectacula pertinentibus præessent, quorum alter fuit Dñus Emanuel Henriquez, tormentorum bellicorum huius præsidij vice-Magister generalis: alter Dñus Josephus Fantoni, Senator perpetuus, & ordinis Calatravæ illustris Eques. Hi Ludi polemici, secuti sunt diem festum Divo Jacobo Apostolo Sacrum; eo fere tempore quo perduellis ille Jacobus olim Monmouthiæ Dux, à Regijs JACOBI copijs devictus, & captus est, totusque eius exercitus ex fæce plebis raptim collectus funditus deletus. Nocte præcedente hæc theatrica spectacula ignes nitro-sulphu-

rei mirá arte confecti,per platæas terrà, per naves mari, vndique radiantes, omnes in admirationem rapuerunt. Mane diluculo triginta indomiti Tauri, cum iucundo omnium pavore in circum acti, in foveà ad id destinatà recluduntur; é quibus decem per totidem singula certamina, inter equites, & pedites mirà corporis agilitate insignes confossi procubuerunt. Post meridiem duo nobiles Heroes, alter Dñus Martinus de Truxillo Ordinis Alcantaræ Eques, & in hoc certaminis genere peritissimus veteranus; & Dñus Isidorus Carolus Cisnerus, Præsidiariorum militum dux, in hac Lusorià militià audacissimus Tyro, superbis insidentes equis, pedissequis suis stipati, in arenam descendunt: & mox clangentibus tubis, & perstrepente musica, quasi dato signo, atrox hoc prælium initur. Fortissimi pugnatores manibus præferebant bellicoso quodam corporis gestu breves hastas, ex pinu eá arte dolatas, vt adactà ferrata cuspide in occurrentem belluam, levi quodam fragore in fragmenta dissilirent. Hæc gloria: hæc victoriæ festiva ostentatio. Brevi tempore viginti immanes belluæ quæ ab alijs herbam recipere solebant, iam victrici manui herbam ipsæ porrigere coguntur. Magnum splendorem, triumphalibus his spectaculis attulére præsentiá sua, omni ornatu & pompá præfulgente, duo luminaria magna, quorum alterū Aquis, alterum terræ præest, Excellentissimus nimirum Comes de Aguilar, Maris Occeani supremus Archithalassus; & illustrissimus Comes Hernandus Nuñez vrbis huius ab Herculé fundatæ Herculeus Gubernator. Sed hic moneor vt Herculeas columnas, & non plus vltra huic orationi affigam: Solemnes hi Ludi vt secundis auspicijs incepti, ita felicem faustumque finem, magno omnium applausu sortiti sunt: quod attribuendum maxime curæ fortunatisque avibus dignissimorum Ludi Præfectorū,

quorum authoritate impulsus, & pæne coactus, musam exsuscito, á triginta annis lethæo flumine consopitam, atque adeo amænis Heliconis fontibus plane hospitem, & peregrinam.

SEna polo sol lustra dedit, queis non mea labra
gustarunt sacras Bellerophontis aquas:
Nec licuit Cirrhæ de vertice frondis honores
Carpere, nec mutam sollicitare Lyram.
Attamen audaci tentabo carmina plectro,
audaces musas prompta Minerva iuuat.
Dum Rex JACOBVS, Jacobum Marte rebellem
sternit, Jacobus plaudit vterque foro.
Eventus præsagę ardent per compita flammæ,
sed magis amborum pectore Regis amor:
Naturam Ars vincit, Lux vincit & arte tenebras,
Nocte cadunt tenebræ, grex fera mane cadit.
Europa insignis per taurum claruit olim:
clarescit tauris vrbs Gaditana magis.
Iam vere Alcides fundator noscitur vrbis,
progenies factis cernitur ipsa suis.
Ingenti clavá pugnabat, & Hercules ipse,
nunc fragili pinu pugnat vterque pugil,
Emissus fovea taurus ruit acer in hostem,
frangit at impulsum fulmineum hasta levis.
Stat fremebundus equus, dum Bruta minacia spernit,
dum victor vincit cornua clarus eques:
Sanguineamque ferox dum calcat taurus arenam,
vndique mugitu cessa theatra tremunt,
Pulverei cessant nimbi, fluitante rigati
sanguine, & en palmam Buccina lęta canit.
Plaudentum vox alta sonat, cum ducitur vnco
exanime ex circo, grata trophęa pecus.

Auspi-

Auspicijs JACOBE tuis pax alma triumphat,
&c redeunt niveis aurea sęcla rotis.
Mens fortis varijs non concidit icta procellis,
nec toto virtus orbe ruente cadet.
Cum iuvat, en placidum clemens imitaberis agnum,
induis vltorem, cum iuvat, ipse Jovem,
Et formidandam patriæ discordis Erinnyn
ad phlegethontæas, fulmine mittis aquas.
Te Batauus Gallusque potens venerabitur, atque
impones domito, Martia iura Mari,
Contrahet atque tremens sua cornua Turcica Luna,
sub sceptris venient barbara regna tuis.
Fortunæ causa est virtus non ficta secundæ
invariansque micat de pietate decus,
Vivat JACOBVS, vivat CAROLVS Que secũdus
augusta Hispanis, Angligenisque salus.
Præfectus Ludis Jacobus vivat vterque,
Anglicus est alter, scoticus alter honos.
Et Divus Cœlo Jacobus Apostolus adsit,
cuius festivo hæc, sunt celebrata die.
Det Scalam Jacob tandem scandamus ovantes,
dum rapitur stigijs turba rebellis aquis.

SIC CECINIT
RICARDVS KEMPE, MED. DOCT.

EX TYPOGRAPHIA GADICENSI.
Anno Dñi 1685.